

pingi, tam clarum est, quam sol lucet in meridie, quando coelum est sudum. Fortassis & hæc suboluerunt B. viro, hinc alia ratione se extricare conatur, sub finem notæ jam cit. scribens: *Quod si quis præferat Japhetum dici fratrem Semi, dicetur major Chamo, non natu, sed prælatione patris, per quam Canaan servus factus.* Sed sic adjectum fuisset מִמָּוֶה, cum vero dicatur Semi major frater Japhetus, nec quicquam in hoc capite de prærogativa & patria benedictione tractetur, sed historice saltem Noachi percenseatur familia, & מִמָּוֶה absolute positum, vix ullibi dicto in sensu adhibitum probari possit, ut scilicet is, quo cum constructur, permaneat maximus, & vox מִמָּוֶה alium respiciat non expressim quo ille tantum dicatur esse major; vix assensum lectoris impetrabit. Haud absimilem huic constructionem quanquam in pl. vid. 1. Sam. 17. 14.

§. 7. Denique ad Gen. 9. 24. hæc leguntur apud cel. Schmid. *Dicitur Chamus יָטֵף parvus, minor, respectu primogeniti Schemi: in cujus respectu omnes subsequentes minores erant ob privilegium primogeniti. Quibusdam hic filius parvus est Canaan, quod pro nobis est, qui Canaanem primum peccasse diximus.* Is quidem respectus non habetur expressus, tutius proinde fuerit, absolute dicta, absolute intelligere: inprimis cum observante l. c. Pfeiff. *Vox יָטֵף in singulari absolute (id est non sequente יָטֵף) de etate usurpata, semper inferat natu minimum vid. Genes. 42. 13 15. c. 44. 12. 20. 1. Sam. 16. 1. c. 17. 14. nec de Canaane hic sermonem esse, quod voluit jam olim etiam Abarb. loco supra c. f. 47. c. 4. l. 13. fin. (qui insuper suffixum in מִמָּוֶה non ad Noam sed Chamum trahit) per vers. 22. dici posse persuasus*